



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Devs quid sit. tit. 154

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Ex ignorantia igitur huius iustitiæ fidei, venit tanta diuersitas satisfationum, indulgentiarum, religionum, operum, traditionum humanarum &c. nam omnes fiduciam operum habentes, vnus alteri se præferat, ignorantes quòd sola Christi persona causa est iustificationis & salutis, Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum &c. Hanc igitur fidei iustitiam oportet præbucere omnibus alijs operibus, & illi tribuere iustificationem, quam apprehendit propter Christum, & non propter opera nostra. At illa apprehensa, sequuntur opera & iustitia operum, quæ etiam secundum gradus suum habet præmium, 1. Corint. 3. & 15. Differt stella &c.

DEUS QUID SIT.

TITVLVS CLIIII.

Dimò, Deus est omne illud quod bonum est, à quo cuncta etiã quæ bona sunt, originè & creationè habet Mar. 10. Nemo bonus nisi solus Deus. Hic Deus vnus in natura est, & trinus in personis, quæ vocantur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Mat. vlt. & Deut. 6. Pater dicitur, quia genuit ab æterno filium, Psal. 2. Filius, quia genitus à patre. Spiritus sanctus, ab utroque procedens. Illorum opera sunt indiuisa, sicuti vnus sunt nature, eiusdem potestatis, clementiæ, &c.

Secundò, Pater Deus, quoniam noluit in seipso esse solus, sed voluit communicare suam bonitatem etiam alijs, & noluit esse Deus mortuorum, vel non existentium creaturarum, idèd in principio temporis creauit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, visibilia & inuisibilia, hominem & iumenta, & alia illis necessaria ad vitam, Gen. 1. Et sic omnia propter seipsum, vt lauderetur gloria gratiæ suæ, Eph. 1. ab omnibus creaturis. Creauit ergo hominem ad imaginem suam, id est, rationem ei donando præ alijs creaturis,

A A a 5 & ad

& ad similitudinem, id est, sine peccato in originali iustitia, iustum, veracem & pium, amantem honestatem &c. Deus est primum & summum bonum, à quo sunt omnia.

Tertio, sed quoniam serpens inuidens salutem homini, Genes. 3. venit ac suavit inobedientiam DEI, perdidit homo originalem iustitiam, & omnes homines in ipso, Romanor. 5. sed misertus Deus creature suæ, misit filium in carnem, & imposuit supra illum omnia nostra peccata, Esai. 53. qui venit & mortuus est pro peccatis nostris, resurrexit iterum ad nostram iustitiam, quatenus saluemur, 2. Cor. 5. & Gal. 3. Hoc est Euangelium nostrum.

Quarto, quoniam parum aut nihil nobis profuisset Christi victima & passio, nisi credita fuisset, datus est Spiritus sanctus, qui testimonium perhibeat in cordibus de Christo, Ioannis 16. & fidem Christi accendat, ut credamus & poeniteamus, Marci 1. Subinde novas creaturas ex nobis faceret, Galat. 5. suis fructibus, id est, novos motus suscitaret in nobis, quales à natura corrupta non habemus. Hæc est fides nostra de sanctissima TRINITATE.

Quinto, credimus ergo nunc in Deum patrem, qui ut dedit primò vitam in creatione, sic propter Christum restituet quando mors illam abstulerit, Ioan. 11. sic credimus in Christum filium Dei, qui in iudicio, in accusatione legis & peccati, pro nobis coram patre apparebit, & sua iustitia nostram vincet iniustitiam. Credimus in Deum Spiritum S. qui nos in fide conservet, ne iterum amittamus bona Evangelica, propter Christum distributa, & sic contra tria illa futura, id est, mortem, iudicium, infernum, opponimus tres illas personas, patrem, filium, & Spiritum sanctum. Sic pater nos creavit, cum non essemus: filius redemit nos, cum perdit essemus: & Spiritus sanctus nos illuminavit fide, cum animales essemus & cæci, &c.

QVID